

96. *Quando compromissarius elegit idoneum sed is consentire renuit, jus eligendi redit ad compromittentes.* — Resp. III. Quando compromissarius elegit idoneum, sed is consentire renuit, etiam tunc jus eligendi revertitur ad compromittentes. Textus est clarus in cit. c. *Si compromissarius*. h. t. in 6. Accedit ratio, quia in tali casu ex una parte compromissarius jam est functus officio suo, ut ibidem dicitur: ex alia vero parte eligentes, ac in alium rite compromittentes, jam fecerunt, quod spectat ad ipsos, infra juris terminum eligendo; atque ideo absque sua culpa non sunt privandi jure eligendi aliam personam idoneam, c. *Si electio*. 26, h. t. in 6. Ubi idcirco conceditur tempus integrum ad aliam electionem celebrandam, ac si nova vacatio extaret.

97. *Unus compromissarius nequit eligere seipsum.* — Quæritur V. An compromissarii possint eligere aliquem ex se ipsis, vel unus semetipsum? Resp. I. Si compromissum in unum dumtaxat sit factum, quamvis illimitate et absolute, ut quemcumque idoneum eligat, is nequit eligere se ipsum. Ita Glossa in c. *Cum in jure*, 33, vers. *Ex se, vel aliis*, et Abbas ibid. num. 4, h. t. citans Innocentium, Layman in cit. c. *Cum in jure*, num. 4, et alii passim. Ratio est, quia talis semetipsum eligens, censeretur ambitiosus, et ideo hoc ipso foret repellendus, juxta illud can. *In scripturis*, 8, qu. 1: «Sicut locus regiminis desiderantibus negandus est, ita fugientibus offerendus.» Neque enim quis oritur a seipso. Unde etiam ille, ad quem spectat collatio beneficiorum, non potest instituere semetipsum; cum inter dantem, et recipientem, debeat esse distinctio personarum, ut notatur cap. ult. *de Institut.*

98. *Etiam si judicet se cæteris digniorem.* — Nec obstat, quod talis compromissarius juraverit eligere digniorem, ac postea seipsum judicet aliis digniorem. Resp. enim cum Glossa, loc. cit. quod is potius debuisset non acceptare potestatem eligendi sibi datam, aut huic renuntiare; fatuus enim esset, qui tale compromissum acceptaret, si credit se cæteris meliorem; cum tacite ipsemet compromissarius censeatur esse exclusus, postquam acceptavit compromissum. Insuper, quia quilibet de proximo debet præsumere bonum, cap. ult. *de Præsumpt.* in se ipso autem agnoscere culpam, can. *Ad ejus*. § fin. dist. 5, compromissarius istud observans nequiquam aget contra suum juramentum, alium eligendo,

99. *Compromissarii, si sint plures, possunt eligere unum ex se ipsis.* — Resp. II. Si compromissarii sint plures, possunt ii aliquem ex se ipsis eligere: etiamsi id in compromisso non sit expressum, dummodo non fuerit expresse prohibitum. Ita Abbas d. c. *Cum in jure*, n. 4, h. t. allegans Innocentium, Hostiensem, et quasi communem; ac tenet novissime Passerinus, cap. xxii, *de Electione*, n. 4; Pirhing, h. t. n. 226; Saning, eod. cap. 4, n. 24; Engel n. 41, contra Glossam loc. cit. et cap. ult. vers. *Potestatem de sortileg.* Ratio est: quia in compromisso absoluto, si certa forma non fuerit præscripta, censetur totum jus eligendi in compromissarios delatum: ergo etiam ex seipsis possunt eligere quemquam idoneum. Alioquin quippe officium suum ipsis redderetur damnosum, imo quandoque etiam Ecclesiæ perniciosum, si videlicet inter compromissarios reperiretur talis, de quo utilius posset Ecclesiæ provideri; prout argumentatur Hostiensis, et post ipsum Abbas, loc. cit.

100. *Solvitur instantia.* — Si dicas cum Glossa: Quando simpliciter datur potestas eligendi tribus compromissariis, non potest unus eligere sine alio, nec duo sine tertio; sicut in simili dicitur de duobus, vel tribus iudicibus delegatis, in c. *Causam matrimonii*, 16 et c. *Uno delegatorum*. 42, *de Offic. delegat.* atqui id fieret, si duo possent eligere tertium compromissarium, cum ille tertius non eligeret, sed solum electioni de se factæ consentiret; ergo id fieri nequit absque speciali concessionem, ut factum fuit in cit. c. *Cum in jure*. Resp. neg. min. Nam in tali casu omnes tres compromissarii simul eligerent, sed duæ diversæ personæ ab ipsis eligerentur: unde quia cæteroquin gestum a pluribus solet valere, c. 1. *de his quæ fiunt a maj. part.* pariter valebit electio compromissarii factæ ab aliis duobus; dummodo ipsis non fuerit expresse prohibitum eligere quempiam ex seipsis, ut limitatur in conclusione, eo quod forma compromissi exacte sit observanda: simulque dummodo in compromisso non fuerit addita illa limitatio, ut non valeat electio, nisi hæc fuerit unanimis, tunc enim nullus compromissariorum eligi posset, cum non caderet in ipsos electio unanimis, eo quod nemo eorum seipsum eligere valeret. Passerinus loc. cit.

101. *Compromissarius a medietate aliorum compromissariorum electus, et electioni de se factæ consentiens, censetur rite electus.* — Resp.

III. Insuper in compromisso absoluto, si septem sint compromissarii, et unus eorum ab aliis tribus eligatur, atque electioni de se factæ consentiat, censetur is rite electus. Ita habetur decisum in cit. c. *Cum in jure*, h. t. ac tenet Summarium ibi, et doctores communiter. Unde in tali casu electus, consentiendo electioni de se factæ, auget numerum eligentium, ut inquit Abbas ibid. n. 6. Idemque contingit, si sint tres compromissarii, et unus nominet suum coelectorem, ipseque consentiat, seu acceptet electionem: tunc enim is censetur in effectu habere duo vota, et prævalebit extraneo unum dumtaxat votum habenti; prout exemplificat Engel h. t. n. 42. Atque hoc ipsum multo magis obtinet, si duo tantum sint compromissarii, et unus nominet alterum: nam iste consentiendo, electionem ratam efficiet. Abbas in d. c. *Cum in jure*, n. 5, et Layman, ibid. n. 1.

102. *Nec talis eligit seipsum.* — Nec obstat, si dicatur: Non potest quis eligere se ipsum cit. c. *In scripturis*, 8, qu. 1; atqui hoc videtur fieri in proposito; ergo. Resp. enim neg. min. Quia talis non eligitur a se ipso, sed a sociis suis; quamvis ipse consentiat electioni de se factæ, sicque numerum augeat. Sive, ut loquitur Layman, cit. n. 1. Pirhing, n. 218, et Sannig, cit. cap. iv, n. 24, h. t. talis immediate, ac principaliter, seu directe seipsum non eligit, sed solum accessorie et collective; cum electio non ab ipso ortum habeat sed ab aliis ipsum antecederet eligentibus, quibus ipse consentit, sicque electionem aliorum de se factam veluti perficit, et complet: hoc quippe citra notam ambitionis fieri potest, cum consensus electi semper requiratur ad electionem.

103. *Consensus electi auget numerum votorum in compromisso.* — Neque ulterius obstat quod consensus electi non augeat numerum, arg. c. *Cumana*. 40, et c. *Quia propter*. 42, h. t. Resp. enim cum Abbate in cit. c. *Cum in jure*. n. 5, h. t.; Passerino, cap. 22, *de Elect.* n. 41, et 42; Layman, et aliis, id verum esse quando electio sit necessario juxta formam scrutinii, in d. c. *Quia propter*, h. t. præscriptam. In quo casu procedunt citata jura: secus vero esse, si electio fiat per compromissum. Siquidem compromissum non arctat ad servandam formam in d. c. *Quia propter*, præscriptam, ut desumitur ex textu ibidem; ac prout compromissarii possunt dare vota palam, atque audientibus aliis: unde electus a medietate potest, sine nota

ambitionis, suo consensu accedere ad illam medietatem, atque consentiendo augere numerum, et fieri electus; ut liquet ex cit. c. *Cum in jure*, h. t. atque in simili habetur l. *Plane*. ff. *Quod cujusque universit. nom.* ubi inter duas partes eligentium actorem universitatis, connumeratur etiam ille, qui eligitur, si habuit vocem ad eligendum, et consentit.

104. *Imo et in quibusdam aliis electionibus.* — Quinimo istud non solum procedit in compromisso, sed etiam locum habet in aliis electionibus, quæ non sunt allegatæ ad formam eligendi in d. c. *Quia propter*, h. t. præscriptam; adeo ut etiam in istis electus a medietate, si hoc illi constet, possit sine nota ambitionis accedere ad illam medietatem, et augere numerum, sicque fieri electus. Abbas, loc. cit. n. 5 et 6, id exemplificans de electione Papæ (quod tamen hodie non tenet; ut liquet ex bulla Gregorii XV, quæ incipit: *Æterni Patris*, § 2) ac etiam de electione imperatoris. Passerinus, ubi supra, num. 42; Pirhing, h. t. num. 218, citans alios: qui tamen monet, circa hoc attendendam esse cujusque Ecclesiæ consuetudinem: prout in simili habetur l. *Item eorum*. ff. *Quod cujusque universit.* num. 2. ibi: «Nisi lex municipii, vel perpetua consuetudo prohibeat.»

105. *Solvuntur alie instantie.* — Cæterum ratio disparitatis inter præmissa est: quia in electione, juxta formam d. c. *Quia propter*, necessario celebranda, debent vota singulorum dari secreto, atque eadem ignorantur ab habente medietatem eorum; sicque fil, quod is suo consensu non possit accedere, nec augere numerum votorum. Secus est in compromisso, atque aliis electionibus, juxta formam, cit. c. *Quia propter*, non necessario celebrandis: quia in his possunt vota dari palam, sicque videns, se habere medietatem, poterit suo consensu accedere, et augere numerum.

106. *Solvuntur alie instantie.* — Si dicas: Ergo saltem in casu, quo quis ex tribus scrutatoribus nominatur a media parte aliorum vocalium, poterit is suo consensu accedere, et sic non obstante cit. c. *Quia propter*, augere numerum votantium: quia scrutator ille tunc novit horum numerum, et ante publicationem scrutinii licitum est adhuc variare. Resp. I. Tenendo illam opinionem, quod publicatio scrutinii fiat, publice enumerando integrum numerum votorum totius capituli (de quo infra § 12, n. 286), tunc hæc

instantia penitus non subsistit: quia ante talem scrutinii publicationem nec ipsi scrutatores sciunt, quot quisque vota reportaverit. Quod si autem loquamur de altero modo publicandi scrutinium, pariter in cit. num. 286, relato, jam talis consensus ipso jure reddit electionem nullam, juxta, c. *Cum post petitam*, 46, h. t. ubi electio censetur nulla, si nominatus in scrutinio absolute consentiat ante electionem communem, nisi notat Glossa ibid. §. *Requisitam*, et Abbas n. 2. Barbosa n. 2, et alii. Tunc enim, ut alia taceantur, fit inordinatus processus contra formam c. *Quia propter*, h. t. juxta quam exquisitis secreto votis singulorum, debet fieri horum publicatio in communi, tum eorum collatio et electio capitularis, et postea primum requiri, ac dari consensus electi; ut c. *Quam sit*, 6, h. t. in 6, et c. *Cupientes*. §. *Cæterum*, eod. in 6.

107. *Solvuntur alie instantie.* — Quod si urgeas: Vel compromissarius ille, qui sua acceptatione complet numerum votorum, acceptat electionem factam, vel faciendam. Non primum: quia antea necdum aderant majora vota. Neque secundum: quia alias eligeret seipsum, et talis electio inchoaretur a propria acceptatione. Resp. Eum acceptare electionem privatam aliorum prius se eligentium: sicque compleri pluralitatem votorum, ut exinde sit celebranda electio communis, seu capitularis. Neque hinc sequitur, quod quis eligat seipsum directe, et principaliter: sed solum accessorie, et complete, ut jam dictum.

§ V.

DE ELECTIONE PER SCRUTINIUM.

108. *Electio per formam scrutinii, quæ? Circa hanc referuntur verba, c. Quia propter, h. t.* — Queritur I. Quid sit electio per formam scrutinii, et quæ obligatio decretalis, in c. *Quia propter*, h. t., relatæ? Resp. I. *Electio per formam scrutinii* illa est, quæ presentibus omnibus, qui debent, volunt, et possunt interesse, fit per collectionem suffragiorum circa eum, in quem major et sanior pars capituli consentit. Ita in re communis, et patet ex celeberrimo, cap. *Quia propter*, 42, h. t., ubi circa hanc formam electionis in concilio generali, sub Innocentio III, celebrato, refertur statutum in hæc verba. « Quia propter diversas electionum formas, quas

quidam invenire conantur, et multa impedimenta proveniunt, et magna pericula imminet Ecclesiis viduatæ, statuimus, ut cum electio fuerit celebranda, presentibus omnibus, qui debent, et volunt, et possunt commode interesse, assumantur tres de collegio fide digni: qui secreta, et singillatim vota eunctorum diligenter exquirant, et in scriptis redacta mox publicent in communi, nullo prorsus appellationis obstaculo interjecto: ut in collatione habita eligatur, in quem omnes, vel major et sanior pars capituli consentit. — Aliter electio facta non valeat. » Hæc ibi.

109. *Plura, non tamen omnia ibidem comprehensa, sunt de substantia talis electionis.* — Resp. II. *Etsi non omnia dictis verbis comprehensa, sint de substantia electionis per formam scrutinii, plera tamen ejus substantialia passim inde colligunt doctores.* Ita rursus communis. Et quidem prior pars ex eo liquet: quia, ut alia taceantur, de quibus controvertunt doctores, presentia, et vocatio omnium capitularium non est de forma substantiali; cum contemptus aliquorum non inducat nullitatem electionis ipso jure; cap. *Quod sicut*, 28, h. t. Id ipsum habetur, in c. *Ecclesia vestra*, 31, §. *Denique statutum*, h. t., ubi dicitur, quod illa, « Presentibus omnibus, qui debent, et volunt, et possunt commode interesse, » non spectent ad formam electionis a concilio generali præscriptam: ne cætera, quæ alibi super hoc statuta noscuntur, uno verbo videantur everti, etc. Altera vero pars ex eo liquet: quia ex allegatis verbis Abbas Panormitanus, in cit. cap. *Quia propter*, n. 42 et seqq., ac ibi Fagnanus, n. 37 et seqq., h. t., enumerant octodecim substantialia electionis; alii plura, vel pauciora, quorum præcipua in progressu declarabuntur.

110. *Dispositio c. Quia propter, h. t., in quorum electionibus sit necessario observanda?* — Resp. III. Dispositio cit. c. *Quia propter*, h. t. solummodo procedit, ac necessario est observanda in electionibus illorum prælatorum, per quorum mortem ecclesiæ censentur viduatæ; non item in aliis electionibus inferiorum. Ita Glossa communiter recepta in d. c. *Quia propter*, vers. *Ecclesiis viduatæ*, et ibi Fagnanus, n. 5 et seqq.; Abbas Panormit., c. *Cum in jure*, n. 5, h. t., et alii. Id ipsum desumitur ex textu illius decretalis, ponderando priora verba allegati textus, *Ecclesiis viduatæ*: nam hæc, veluti posita in præmio

illius constitutionis, designant causam ejus finalem, et regulant totam dispositionem: ut L. I, ff. *de Orig. juris*, et L. ult., ff. *de Hered. instituend.* Ergo, cum dicta nova constitutio specialiter intenderit providere Ecclesiis viduatæ, ac præcavere periculis, quæ ipsis imminebant ex diversis electionum formis, solummodo loquitur, atque necessario observanda est in electionibus illorum prælatorum, per quorum mortem ecclesiæ censentur viduatæ. Et talis est electio episcopi, qui est proprie sponsus ecclesiæ suæ, can. *Sicut alterius*, 7, q. 1, ac per obitum ipsius Ecclesia dicitur viduata, c. *Inter corporalia*, et cap. ult., *de Translat. episcop.*

111. *Inter abbates perpetuos, et ecclesiam, contrahitur quasi conjugium spirituale.* — Huc spectat electio abbatum perpetuorum, qui monasteria obtinent in titulum: nam, licet hi non tam striete ac proprie dicantur sponsi suarum Ecclesiarum, ut episcopi (unde et in episcopum eligi possunt, nec sunt solemniter postulandi, c. *Si abbatem*, 36, h. t., in 6), nihilominus inter eos et ecclesiam contrahitur quasi conjugium spirituale, atque per obitum ipsorum dicitur Ecclesia viduata; ut c. *Ne pro defectu*, 41, h. t., ac proinde in ipsorum electione oportet servare formam, in cit. c. *Quia propter*, h. t., præscriptam. Idem, atque ob eandem rationem, esse observandum in electionibus prælatorum principium in Ecclesiis collegiatis, qui in his habent generalem jurisdictionem, tenet Glossa, cit. c. *Quia propter*, vers. *Ecclesiis viduatæ*, et ibi Abbas, n. 7 et 8, intelligens Glossam; quando prælatus Ecclesiæ collegiatæ ita habet generalem jurisdictionem, prout habent abbates, qui possunt cognoscere de causis criminalibus, et civilibus: et sequitur Fagnanus, ubi supra, n. 31, citans alios. Nam tales prælati ratione generalis jurisdictionis, quam habent in Ecclesiis collegiatis, possunt etiam appellari quodammodo sponsi, sicque per eorum obitum remanet Ecclesia viduata, et sine pastore.

112. *Ad electiones inferiorum sufficiunt vota majora capitularium quomodocumque præstita in capitulo fuerint.* — Cæterum in electionibus inferiorum, ut puta canonicorum cathedralium, licet forma, in cit. cap. *Quia propter*, h. t., præscripta recte observetur; nihilominus rigor iste in eorum electione non necessario est observandus, nam per horum mortem non censetur Ecclesia viduata, ut omnes censent, cum non habeant ejusmodi generalem

jurisdictionem, sicut abbates; ac verus sponsus ejus, videlicet episcopus, adhuc vivat. Unde ob valorem talium electionum satis est, si capitulares collegialiter congregati, per vota majora quempiam cæteroquin habilem eligant, quomodocumque consensum suum exprimant; adeo, ut sufficiant etiam singulares consensus, dummodo præstentur in capitulo. Glossa, in c. *Sicut eum*, 21, vers. *Formam*; Fagnanus, loc. cit. n. 15; Pirhing, h. t., n. 203. Cæterum, an rigor ejusdem decretalis sit observandus in electione superiorum regularium, ex professo dicitur infra, § ult. num. 331 et seqq.

113. *Electio juxta d. c. Quia propter, h. t. debet fieri omnibus capitulariter presentibus.* — Queritur II. Quomodo electio juxta dictam formam scrutinii debeat fieri presentibus omnibus? Resp. I. Necesse est, ut ea celebretur omnibus in unum, seu collegialiter sive capitulariter congregatis, et non singulariter tantum. Non enim sufficeret, si nulla prævia capitulari congregatione quilibet electorum daret votum in camera sua; vel si eorum collegialiter non congregatorum vota colligerentur, modo hunc, modo illum singulariter dumtaxat vocando: prout innuit textus in sæpe, cit. c. *Quia propter*, ibi: « Presentibus omnibus; » juncto c. *In Genesi*, 35, h. t., ac notat Glossa communiter recepta in cap. 1, *De rebus Eccles. non alienand.*, in 6. Abbas et Fagnanus, ubi supra, merito inter substantialia talis electionis reponentes, ut capitulum congregetur.

114. *Possunt tamen capitulares, ut dent singillatim ac secreto vota sua, interim ad locum contiguum recedere. Idem probatur ex verbis cit. c. Quia propter.* — Resp. II. Non tamen obsistit validitati electionis, si canonici ad eam faciendam capitulariter convenientes, post electos scrutatores, ex capitulo ad alium locum contiguum recedant, indeque ad dandum singillatim, et secreto, ne ab aliis electoribus audiri valeant, votum suum singuli reddant, donec completo ipsorum eligentium numero, votisque per scrutatores inter se collatis, atque in scripta redactis, omnes de novo capitulum ingrediantur ad audiendam publicationem votorum, et communem electionem. Ita Petrus de Baisio, tom. XV, *Tractatum*, tract. *de Election.*, part. III, cap. xxv, n. 1 et seqq.; et Guillelm. Mandagotus, eod. tom. XV, *Tract. de Electione novi prælati*, cap. xxiv; Passerinus, cap. xviii, *de Elect.*, n. 3; et Thomas Zerola, in *Pract. episcopali*.